

mo tulit, neque palma hæc confracta aut collapsa est, quia: *Stabat juxta crucem*, ait Sanctus Joannes; ut verissime de ea dicit queat id Cant. VII. *Statura tua assimilata est palmæ*. Quando igitur in monte Calvariæ tot ponderibus onusta stetit ac perstitit invicta juxta Filium, nonne meritissimo in summo cœlestis gloriæ culmine supra omnes sanctos stabit juxta Filium?

IV. Palma est solis amantissima, nec fructum fert nisi in loco fervido, teste Plinio, l. XVII. cap. XLIV. et l. XIII. cap. IV. unde in Italia fructus non gignit, saltem maturos. At nemo alius ita Dei amans fuit, nemo ita in perpetuo amoris fervore vixit ac B. Virgo; jure igitur et corona ejus omnium ss. coronas quam longissime superat. Qui plus in cœlo gloriæ sibi comparare vult, plus monetæ adferre, debet. Plus autem monete, adfert, qui plas auri adfert. Aurum charitas est, argentum cæteræ virtutes sunt. Hinc Apoc. III. episcopo Laodicæ tepido scribitur: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis* (gloriæ scilicet) *induaris*. Aurum ignitum charitatem ferventem notat, ut optime exponunt Beda, Richardus, Ansbertus, alique. Qui ergo plus charitatis, et quidem ferventioris, habuerit, locupletior in cœlo fiet, et stola candidiore ac splendidiore induetur. Queramus jam, an B. Virgo plusquam alii sancti de hoc auro habuerit.

Id certe probatur primo, quia amavit Deum non solum ut creatorem, conservatorem, redemptorem et patrem suum, quemadmodum alii sancti: sed etiam ut Filium. Hunc autem longe excellentius amavit, quam solent aliæ matres amare filios suos. Primo, quia totus erat solius matris, non item patris terreni filius. Secundo, quia in illum omnis ejus amor ferebatur, non in plures alios dividebatur. Aliæ enim matres præter filios suos, amant etiam conjugem, parentes suos, alios liberos suos, fratres et sorores. At Maria totum amorem suum impendit uni Filio, quia simul erat Filius et Deus. Tertio, quia Filius erat nobilissimus utpote Deus, item speciosissimus, a tot sanctis desideratus, ad hæc Matri simillimus tam in vultu, quam in moribus ac virtutibus.

Probatur secundo, quia plurimis ab eo, velut Deo, gratiis ac donis præventa, et in Matrem ejus electa fuit. Quo enim plura quis beneficia accipit, si æquus eorum æstimator est, uti fuit Maria, eo plus benefactorem diligit.

Tertio, quia amor illius restrictione non eguit, aliorum parentum amor erga filios eget, ne scilicet eos magis vel æque ac Deum ament; quia Filius erat Deus.

Quarto, quia ex diuturna cum Filio conversa-

tione magis semper et magis in ejus amorem incanduit. Quod si duo illi discipuli, ad horam ambulantes cum magistro suo in Emmaus, exarserunt in amorem ejus; quid dicamus de B. Virgine, quæ tot annis ei convixit?

Quinto, ex effectibus et indicis amoris ejus. Duo hic expendamus: amorem ejus, quo stimulante Calvariæ montem fugientibus discipulis ascendit, ac inter furentes canes Filio adstitit, vitæque pro eo mortis periculo exposuit. Deinde, quod præ amoris Filii sui incendio sine ullo morbo aut dolore extincta sit, ut scribit S. Hieronymus, ser. de assumpt. Suarez, Canisius et alii. Jam vero quis alius sanctorum tali amore, tali auro præditus fuit? Ac sicut aurum suæ dignitate naturæ superat omne argentum, quamvis infinities congestum; ita amor B. Virginis amorem aliorum sanctorum, quia altioris ordinis est, ut vidimus. Erant in conventu Leuchovæ simul Uladislaus Hungariæ et Albertus Poloniæ reges fratres cum magna multitudine Hungarorum et Polonorum, anno 1493. Ibi Polonus quidam princeps veste unionibus undique repleta prodiit, quasi provocans Hungaros ad vestitus certamen. Id videns Stephanus Hungariæ Palatinus, unicum lapidem, sed eum tam pretiosum in veste sua spectandum proposuit, ut totum Poloni gemmeum ornatum longe superaret. Viso eo Polonus victum se fassus, mox gemmatam suam vestem, qua Hungaros provocarat, deposuit, Bonfin. libro IV. dec. V. Pari modo B. Virgo si vel unicum amorem, quo Deum prosequeretur, depromeret, omnium sanctorum virtutes longe transcenderet.

Vidimus igitur Deiparam jure meritissimo in summo cœli fastigio et gaudiorum compluvio constitutam esse quia revera palma fuit. Sed si ita exaltata est, quomodo nos pusilli, infra constituti, apprehendemus fructus ejus? Sane palma dactylos suos in sublimi quidem gerit; versus humum tamen inclinatur, ut vitis botros. Sic B. Virgo in cœlo meritorum verticem ad summum gloriæ thronum erexit; eadem tamen fructus meritorum suorum in terram inclinatur, dum velut mater filiis panem, quasi manibus porrigit, etiam indignis: unde cum Cant. VII. statura ejus assimilata esset palmæ subditur: *Et ubera tua botris*. Quid ubera, nisi materna ejus benevolentia ad lactandos filios? Ut ergo botri a vite et dactyli a palma dependent, quasi obviantes prætereuntibus carpere volentibus; sic ubera Deiparæ nemini non ad ipsam recurrenti promptissime se exhibent.

Experta est Maria Ægyptiaca, cum adhuc infans femina ingredi templum Jerosolymis conaretur, ab imagine Deiparæ ter quaterve repulsa, donec ad se rediens vitæ emendationem Dei Matri

promitteret, apud Sophron. Hierosol. episcopum, in ejus vita. Simillimum est, quod refert Hier. Majorica in annis Goensibus, de Indo, (folio CCII.) qui tredecim annis non confessus, in sabato tamen, audito pulsu ad *Salve Regina*, in nostro templo cantari solito, accedere voluit. Verum ad portam templi pedibus se impeditum sensit. Quare reverti domum volens, non potuit, pedibus velut plumbo aggravatis. Repens ergo ad proximum parietem, seque inclinans, videt imaginem Deiparæ; quam alloquitur et causam sciscitatur cur templo excluderetur. Interim advenit unus de nostris patribus, qui rem intelligens, admonet eum rationis cum Deo faciendæ per confessionem. Qua voce mox permotus Indus, fatetur necessariam sibi confessionem, seque ad eam paratum. Vix emisit hanc vocem: solvuntur pedes, expediteque sequitur patrem ac confitetur, sanatus animo et corpore, petiitque a patre, ut hoc factum promulgaret ubicumque vellet ad Deum et sanctissimam Matris ejus gloriam.

## CONCIO IV.

## PROTECTIO DEIPARÆ QUAM SALUTARIS.

I. Latissima, extendit se ad omnes. — II. Potentissima et efficacissima. — III. Paratissima ad juvenum. — IV. Fidelis ecclesiasticus.

## THEMA.

*Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis. Eccles. XIV.*

Solemus, auditores, in æstivis caloribus, quales fere hoc tempore, umbras adamare, et sub illas nos recipere contra ardorem solis. Sed o nos delicatos homines! Si enim brevem ac levem solis hujus calorem, corpus affligentem, ferre nequimus: qua ratione sustinebimus fervorem solis justitiæ Christi, quando ad judicandum venerit, qui et corpus et animam uret? De hoc enim Isaias, c. XXIV. ad litteram, secundum Christi adventum describens, ita ipsi loquitur: *Sicut æstus in siti, tumultum aliorum in humiliabitis: et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marescere facies*, quasi dicat: Impios tumultuosos, qui pios vexarunt, et se a te alienarunt, torrebis in die judicii, veniens in nube et æstu justitiæ tuæ, velut in terra arida, ubi nulla est umbra. Quid igitur, auditores? Quid faciemus nos, ut æstum illius diei evitemus? Umbra nobis querenda est; et ubi melior, nisi sub Deipara Virgine, cui obumbravit Spiritus sanctus? De hac

enim audimus Sapientem hodie in sancta missa loquentem: *Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis*. Teste enim Plinio, lib. XII. cap. I. « Commendatio platani non alia major est, quam solem æstate arcere, adeo ut aliqui trans maria et a remotis regionibus eam umbræ solius gratia ad ædes suas divexerint. » Non reperitur arbor, quæ magis arceat solis ardorem et jucundiorum præstet umbram, quam platanus: nec protectio securior a ventura ira judicis, quam protectio Deiparæ. Ea hodie in cœlum exaltata est, ut inde umbram protectionis suæ in nos faciat. Quam ut avidius queramus, melius explicabimus.

I. Umbra platani est latissima, adeo platanus a Græco latitudine dicitur quod ramos suos spaciöse expandat, quibus viatoribus gratiosissimam umbram exhibeat. Inde olim quidam umbræ causa intra et supra platanum cœnabant: Licinius cum decem octo, Caius cum quidecim convivis, Plin. XII. cap. II. Pari modo pallium protectionis Deiparæ spatiosissimum est, diffundens se ad omnes, quotquot ad eam confugiunt et opem ejus implorant. Cæteri sancti ad certos limites expandunt umbram suam, ubi scilicet vixerunt, vel ubi requiescunt, vel ubi eorum templa et altaria sunt, vel peculiaris devotio est, et fere ad justos tantum. Sed Beata Virgo extendat umbram suam ad omnes homines, ubicumque terrarum sint, ut docet Idiota in contempl. Virginis, c. II. Hinc Toletus card. vult ipsi a Christo sub cruce commendatam esse in Joanne universam Ecclesiam, ut esset omnium mater. Et jure primo, quia, sicut ejus Filius omnium mediator et redemptor est, ita ipsa omnium mater et advocata, per quam habemus Redemptorem. Propterea, ut vult S. Bernardus, serm. super *Signum magnum*, Apoc. XII. dicitur: *Mulier amicta sole*; Filio videlicet. Quis autem nescit solem universo orbi communicare lumen et calorem suum? Oriri super bonos et malos? Et si juxta jurisconsultos uxores coruscant radiis maritorum, cur non et matres radiis filiorum? Quare sicut Deus appellatur *Pater misericordiarum*, ita ipsa Mater *misericordiæ*. Denique, si a Christo commendata est ei cura Joannis, filii sani et robusti, cur non et cura filiorum ægrorum et debiliū, quales sunt peccatores?

Secundo, quia hanc gloriam et potestatem protegendæ, et in filios recipiendæ omnes, qui eam receperint in sua, commeruit heroico illo charitatis, obedientiæ et patientiæ actu, quo Filium suum innocentissimum unicum et dilectissimum sibi præter jus auferri et pro humano genere immolari passa est. Fuit is actus charitatis res-



pectu cœlestis Patris, Filium immolare volentis; actus patientiæ respectu Judæorum, qui Filium ipsi iniquissime ablatum, iniquissime tractarunt, ipsa spectante, nec tamen contra violentiam illam protestante. Justitia igitur exigebat, ut fieret ei compensatio, saltem qualis fieri potest. Porro pro tanto ac tam dilecto Filio, si totius mundi filii, ipseque mundus detur, nequaquam sufficiens adhuc erit compensatio. Ergo dandum saltem, quantum dari potest, omnes scilicet homines, quotquot ad ejus umbram fugiunt. Si enim Deus Abrahamæ pro dilecto suo filio Isaac sibi immolando (licet non reipsa, sed voluntate sola parentis immolatus sit) dixit: *Quia fecisti rem hanc, et non pepercisti unigenito filio tuo*, (hoc est, dare eum voluisti) *multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam maris*, Gen. XXII. quasi dicat: Dabo tibi pro uno filio et nepotes innumerabiles: cur non potiori jure det Deus Matri Filii sui, pro ipso vero immolato, innumeros alios filios; cum etiam innumeri nequaquam æquiparari unico illi possint? Et quemadmodum Abrahamæ promissi sunt filii sicut stellæ cœli, in quibus intelliguntur justii; et sicut arena maris, in qua peccatores: ita beata Virgo meruit jus protegendi et in filios recipiendi justos et injustos, quicumque ejus opem invocarint.

II. Umbra platani est densissima. Unde Plinius, l. XVII. cap. XII. *Umbra platani jucunda est, quamquam crassa*, inquit. Quo crassior eo jucundior, sole æstuante: nam et æstum areet et pluvias; et hoc ob lata ejus folia, quæ peltæ figuram referunt. Aliæ arbores, quia minora habent folia, non ita ex omni parte prohibent solem et pluvias. Hinc in magnis solis caloribus Romani sub platano jucundissime epulabantur. Et quid densius, quid potentius umbra protectionis Marianæ? Aliorum enim sanctorum preces coram Deo impetrant, Deiparæ vero imperant. Ita enim B. Petrus Damiani, serm. II. de nativitate B. V. ait: *Accedis ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed etiam imperans; domina, non ancilla*. Et hoc primo, quia Filii, quem rogat, Mater est; matrem autem filius ex lege naturæ jubetur honorare. Non videretur autem honore afficere, sed pudore potius, si petenti gratiam negaret. Testem audiamus primo, Adoniam filium Davidis, qui interventu Bethsabæ, petiturus aliquid ab ejus filio Salomone, dixit ad Bethsabæam: *Neque enim negare tibi quidquam potest, filius scilicet matri*. Deinde, ipsum Salomonem, qui venienti ad se matri ait: *Pete, mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam*, III. Reg. III. Parentes in filiis seipsum intuentur velut in imagine sua, indeque delec-

tantur, juxta id Prov. III. *Pater in filio complacet sibi*. Unde si contingat eos a filiis offendi aut sperni, certe tunc coguntur avertere ab eis vultum suum, non absque magno dolore et confusione sua. Hocne facere me decet, vult dicere Salomon, ut confundam et a mei amore avertam faciem matris meæ. Absit. Et si hoc filii hominum, num aliter faciet Filius Dei Matri suæ?

Secundo, quia suis obsequiis Filio exhibitis utique commertuit, ut Filius vicissim obsequatur Matri suæ in ejus postulatis. Sane matres ori suo detrahunt, quod filiis impertiant (quemadmodum et gallinæ ut dent pullis suis) nec facile negant filiis, quod non obest illis. Et quid non præbuit Deipara Filio? Quid unquam ei negavit? Igitur sicut ciconiæ reddunt vicem parentibus, implumes succollando; sic servire decet filios parentibus, juxta præceptum: *Honora patrem et matrem*. Quomodo igitur fieri possit ut talis filius neget aliquid tali matri? Certe quando in nuptiis Canæ sponso vinum petiit, licet minus opportuno tempore, (uti Christus observavit) audita tamen fuit, et vinum impetravit. Quid enim, si Filio dixisset: Nonne ego tibi sitiienti lac præbui? Nonne nudum vestii? Nonne tota vita servivi? Quid respondere Filius poterat? Putat S. Chrysostomus et Theophylactus, quod primum miraculum Jerosolymis facere statuisset, velut in metropoli; ad preces tamen Matris mentem mutavit. Unde Chrysostomus ait: « Licet hoc dixerit. *Nondum venit hora*, maternis tamen precibus obtemperavit, etc. Ut Matri honorem exhiberet, et non contumax videretur Matri, neve Genitricem, tam multis præsentibus, pudore afficeret. » hom. XXI. in Joan. Nemo alius sanctorum tam potentes et armatas preces coram Deo afferre potest. Quare sufficit causæ nostræ advocatam habere Dei Matrem. Jam obtinuit quod petiit, qui hanc advocatam habet.

Quid ergo dæmones nobis nocere sub hac advocata poterunt? Sane umbra platani dicitur vesperiliones fugare, teste Pierio, lib. XXV. hierogl. Deiparæ patrocinium primo conspectu fugiunt dæmones; nec quidquam moliri hostile audent, ubi ejus umbram clientibus imminere vident. Ubi regina patrocinatur, non opus est argumentis: frustra ei resistitur. Verum tamen est, tunc potentem, imo potentissimam esse intercessionem ejus, quando clientes ejus monitis obediunt, non vero cum refractarii sunt. Hi enim cum pro vino supplicasset, mox addidit ministris: *Quodcumque dixerit vobis facite*. Hi ergo nisi imperio ejus obediens hausissent aquam jussu Christi, vinum non accepissent: morigeris ergo succurrit.

III. Umbra platani publica; et ubi hæc arbor crescit, passim obvia est, non intra septa, sed

in viis publicis, sicut arbores aliæ silvestres, fructu carentes. Unde dicitur ab Ecclesiastico, *stare juxta aquas in plateis*. Ad hæc in cæteras quasque regiones Ævehi et plantari esse patitur, quod non faciunt omnes arbores, ut palmæ, cupressi, cedri, etc. quæ non ferunt frigidum solum. Hujusmodi est protectio Deiparæ, quæ ad opitulandum omnibus pronissima, paratissima est, imo omnes ad se vocat in Ecclesiast. cap. XXIV. citato; ubi postquam, velut medicatrix et mercatrix, omnes suas merces et herbarum vires vanales proposuit ac dilaudavit dicendo: *Quasi cedrus, cupressus et palma exaltata sum: quasi oliva speciosa in campis: sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, et storax et galbanus, etc. Ego quasi terebinthus: ego quasi vitis: ego mater pulchræ dilectionis, etc.* Tandem omnes ad suas merces capiendas, ad suam umbram et protectionem vocat dicens: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini: spiritus enim meus super mel dulcis est*. Ecce quam amanter vocat ad se omnes! Quam vehementer cupit se impertiri omnibus! Proni quidem sunt et alii sancti ad opitulandum miseris, sed non tanta tamque universali propensione, uti Mater Christi. Lego enim S. Lambertum episcopum Leodiensem impudiciæ hostem, etiam post mortem negasse impuris feminis osculum manuum suarum, aliis omnibus concessisse, 17. sept. apud Surium. Homicidam non admissum a S. Walpurga peregrinantem ad sepulcrum suum, in ejus vita l. maii. Elfridam ad sepulcrum S. Eduardi regis Britanniae, velut sanguinariam, in vita, 18. martii. Et facile quis sibi persuadeat superbos precatores non audiri a sanctis; qui humilitatem summe amarunt, avaros a liberalibus, iracundos a mansuetis, gulosos a sobriis: *Debent enim in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, ut pro nobis dignentur Domino supplicare*, ait S. Augustinus, serm. XXX. de sanctis. At B. Virgo merita vel demerita nostra non examinat, sed miseras tantum aspicit nostras, unde suam opem liberalissime et promptissime impendit. Primo, quia est summa et potentissima cœli Regina. Decet autem reges, ac multo magis reginas, clementia, liberalitas et misericordia: unde qui in regis iram inciderunt, reginæ pedibus se advolvunt; uti Aman, qui regem sibi iratum videntem, ad reginæ pedes accidit, gratiam postulans, Esth. VII. Certe filia Pharaonis, quando Mosen infantem in fiscella aquis innatantem et vagientem vidit, miserta ejus, extraxit illum; ac licet eum de pueris Hebræorum, utpote circumcisum, adeoque ex mandato patris submergendum de-

prehenderit, nihilominus tamen educari jussit, et loco filii sui habuit, Exod. I. Si hoc fecit filia regis impii, quia scilicet regium est miseris succurrere; quid non speremus a Deipara? Licet enim quis de Hebræis, id est, peccatoribus et infidelibus, æternæ mortis obnoxius, sit; si tamen ejus opem vagiens imploret, opulentem reperiet; quia ipsa considerat miserum peccatorum statum, quo velut infantes aquis innatant et sensim abripiuntur in abyssum: non attendit quales sint, sed quo miseri eant.

Secundo, quia mater et advocata communis omnium miserorum a Deo constituta est, quod vel nomen ejus indicat. Quid enim Maria nisi stellam maris sonat? Et quid stella maris, nisi directrix et consolatrix periclitantium in mari? Et: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* Isa. XLIX.

IV. Umbra platani Gortynæ in Creta nunquam folia dimittit, teste Plinio, lib. XII. c. I. Fidelis etiam et constans est protectio Deiparæ illis, qui eam nunquam deserunt. Templo Jerosolymitano concessit Demetrius hoc privilegium, ut: *Quicumque ad id confugerint, obnoxii regi in omni negotio, dimittantur, et universa quæ sunt eis in regno ejus, libera habeant*, I. Macch. X. § XLIII. Cur non idem privilegium concesserit Deus Matri Filii sui, quæ ipsius templum fuit? Quemadmodum ergo templum defendit et tuetur omnes, (unde templum a *tuendo* dictum volunt aliqui) qui ad id confugerint, quamdiu ipsi templum non deseruerint: ita et Deipara umbra sua proteget clientes suos, quamdiu ipsi adhæserint.

Exemplum refert abbas palladius in prato spiritali Jo. Moschi, cap. LXXV. « Erat, inquit, in Alexandria vir quidam fidelis, religiosus valde et misericors, et hospitio suscipiens monachos. Habebat autem uxorem, et ipsam humilem valde et jejunantem quotidie; erat autem illi filiola quasi annorum sex. Quadam vero die vir ille pius profectus est Constantinopolim; erat enim negotiator. Relictis ergo domi uxore et puella et uno servo, abiit ut navigaret. Cum vero iret ad navim, ait ad illum uxor: Cui nos commendatos relinquis, domine? Respondit vir ejus: Domina nostræ sanctæ Dei Genitrici. Die vero quadam cum sederet uxor et operaretur, habens et puellam secum, servus ille ex suggestione diabolica voluit necare dominam et ejus filiam, et diripere quidquid haberent et fugere. Sumpto igitur ex coquina cultro, perrexit in triclinium, ubi erant ambæ. Cum vero venisset ante januam, comprehensus est cæcitate, ita ut neque triclinium ingredi, neque ad coquinam reverti posset. Cum autem una ferme hora perstitisset, frustra que conaretur in-



gredi, cœpit vocare dominam suam, dicens: Veni huc usque: illa admirans quod in medio januæ persistens ad illam non graderetur, sed clamaret, ait illi: Tu magis huc veni; ignorans, quia cœcitate teneretur. Puer autem incepit illam adjurare, ut iret prope illum: illa vero juravit non se ituram. Tunc ait illi: Mitte vel puellam; quæ noluit, sed ait: Si quid vis, ipse potius veni. Videns autem servus quod nihil potuisset agere, seipsum gladio percussit, et corruit. Domina vero illius, cum vidisset, quid egerat, clamavit, continuoque vicini accurrerunt. Ingressi sunt autem et ex officio prætorii nonnulli, puerumque reperientes adhuc vivum, didicerunt ab ipso omnia, et glorificaverunt Dominum, qui ostenderat miracula, et matrem salvaverat cum filia. »

Fida igitur protectrix suorum clientum est Deipara, constans umbra illius, uti vidimus. Idcirco, auditores, si ab æstu iræ divinæ securi esse volumus, ad umbram hanc fugiamus. *Diximus: In umbra tua vivemus*, aiunt illi, Thren. IV. Dicitur et nos hoc Deiparæ: *In umbra tua vivemus*. Non fidamus umbræ hujus sæculi, principum et amicorum favori ac tutelæ. Sunt enim velut umbra illius hederæ vel cucurbitæ (ut Septuaginta legunt) quæ in æstu protexit unico die Jonam: repente vero corrosa a verme hederæ desit: hinc æstuare Jonas solis radiis percussus, ac præ dolore mortem sibi optare, dicens: *Melius est mihi mori quam vivere*, Jon. ult. Veniet aliquando vermis sepulcri, mors, et corrodet principes atque amicos, in quibus confidebas, vires quoque tuas, et quid si tunc justitiæ sol, Christus iudex, feriat te radiis suis, et incipias æstuare ac mortem optare, ne ardorem gehennæ æternum sustinere cogaris? Igitur si sapimus, ad umbram Deiparæ nunc fugiamus, dum fugæ locus est: non expectemus cum Pharaone, donec marini illi parietes, mortis, inquam, dolores, sero sapientes obruant, ut cum ipso frustra clamemus: *Fugiamus Israel*, Exod. XIV. Actum est, mi Pharaon, in profundum ibis; quia sero fugisti. Quodne et nobis accidat, potentissimo et liberalissimo suo patrocinio avertat nobis cœli Regina clementissima, Maria.

## CONCIO V.

MARIA VIRGO PER OMNIA MELIOREM PARTEM ELEGIT.

I. Elegit virginitatem potius, quam Dei maternitatem præcise. — II. Elegit sponsum habere potius, quam non habere. — III. Elegit sponsum humilem, et fabrum potius, quam nobilem et divitem. — IV. Elegit adesse Filio crucifixo potius, quam abesse. — V. Elegit post Filii ascensionem remanere aliquamdiu in terra potius, quam eum comitari in cœlum.

## THEMA.

*Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luc. X.

Quæ causa est, auditores, quod hoc evangelium legatur in hodierno festo? Utique hæc vel sola vel potissima; quia dicitur in eo: *Maria optimam partem elegit*. At hoc de Maria Magdalena Christus effatus est, non de Matre sua. Ita est, sed Ecclesia imitatur Rebeccam, quæ filio suo Jacob vestem odoriferam, quam fecerat Isaac pater fratris ejus Esau, induit et aptavit, ad benedictionem patris obtinendam: quia potiori jure debebatur ipsi, qui obtenturus, Gen. XXVII. Hunc ergo in modum pulchra fragrantissimaque veste ornavit Magdalenam Christus in hodierno evangelio, quando dixit: *Maria optimam partem elegit*. Sed Ecclesia mater nostra, Spiritu sancto edocta, intellexit vestem hanc odoriferam longe potiori jure debere Deiparæ; idcirco hunc Magdalenæ ornatum applicuit Dei Matri. Magdalena in uno tantum meliorem partem elegit, dum verbo Dei audiendo potius, quam curæ rei domesticæ sese occupavit; adeoque vitam contemplativam prætulit activæ, non in aliis omnibus; castitate enim a sorore Martha longe superata fuit. At vero, Maria Deipara non in uno solum, sed in omnibus omnino meliorem semper partem elegit. Jure igitur potiori ipsi hoc encomium datur: *Maria optimam partem elegit*. Quibus vero in rebus? Audiamus.

I. Elegit potius virginitatem quam fecunditatem, imo et quam Dei maternitatem præcise. Adde præcise, quia Matrem esse Dei, cum sit dignitas incomprehensibilis, trahit ad se jure suo omnis generis gratias, adeoque etiam virginitatis florem. Posito tamen, quod eum non attraheret, et præcisa a virginitate esset; elegit potius Maria conservare suam virginitatem, quam cum ejus jactura fieri Dei Mater; quia virginitas virtus est, Deo acceptissima et heroica planeque angelica; maternitas autem Dei præcise virtus non est; sed gratia gratis data dumtaxat, non gra-

tum faciens; quæ proinde Matrem Dei præcise non facit beatam, ut fruatur Dei visione et gloria cœlesti, sicut nec pontificatus facit papam sanctum. Quod vero hæc Mariæ mens et sensus fuerit, satis ipsa indicat, cum angelo respondet: *Quomodo fiet istud?* Quia scilicet: *Castitatem prætulit angelico nuntio*, ait Gregorius Nyssenus, ac virgo esse maluit, quam præcise Dei Mater. Prætulit etiam virginitatem fecunditati, quæ in v. t. tanti æstimabatur; ut expendit S. Anselmus: « Illa quidem duo, inquit lib. de excell. Virg. cap. IV. jucundius amabat; scilicet virginitatem et fecunditatem: virginitatem, quia hanc placere Deo per omnia intelligebat; fecunditatem, quia sine hac maledictum legis, quæ adhuc carnaliter custodiebatur, incurrere metuebat. Vicit tamen amor in ea servandæ virginitatis, et exclusit ab ea timorem incurrendæ maledictionis. Virgo itaque et tenera et delicata, et speciosissima, regali stirpe progenita, totum amorem suum, totum studium suum, ad hoc intendit, ut corpus et animam suam Deo virginitate propria consecraret. Sciebat enim, quod quanto sanctius eam servaret, tanto sublimius ei, qui omnium castissimus, imo qui ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabilius Domino esse cognovit, legem superavit, sprevitque maledictum datæ legis. Denique, ubi Dominus tam sanctam ejus intentionem vidit, misericordiæ suæ intuitu egit circa illam, ut nec sanctitas intentionis ejus frustraretur, nec castitas propositi ejus violaretur. Dedit ergo illi, ut et virgo, quod magis optabat, permaneret; et, ut nemo illam a maledicto legis liberam dubitaret, fecunda fieret. » Cui accedit S. Ildefonsus, serm. V. de assumpt. « De ista, inquit, dicitur: *Optimam partem elegit*; quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit, et idcirco promeruit, ut Dei Filius ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet. » Audiamus et Gregorium Nyssenum, orat. de nativ. Christi: « Audi, inquit, pudicam virginis vocem: angelus partum nuntiat: at illa virginitati inhæret, et integritatem angelicæ demonstrationi: (*Ecce concipies et paries filium*) anteponendam judicat: » et post: « Quia carnem Deo consecratam tamquam sanctum aliquod oblatum munus oportebat intactam integramque præstare; idcirco, licet angelus sis, licet e cœlo venias, licet id quod ostenditur, naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. » Comprobatur hæc virginis resolutio ex illa Christi sententia, qua beatiores esse asseruit auditores verbi Dei, Matre sua præcisenimirum accepta, Luc. XI. « Beatior ergo Maria, ait S. Augustinus, lib. de virginit. cap. III. percipiendi fidem Christi, quam concipiendi carnem

Christi. Nam et dicenti cuidam: *Beatus venter qui te portavit*, ipse respondit. *Imo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*. Denique, fratribus ejus, h. e. secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic et materna propinquitatis nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset. » Sic August.

II. Elegit habere sponsum, virginitati suæ nihil obfuturum, potius quam eo carere. Et hoc sapientissime. Primo, ut cum virginitate etiam matrimonium velut a Deo institutum, et aliquando sacramenti dignitatem habiturum, condecoraret: quod observat D. Ambrosius, in Lucam, plus etiam est, adeoque melius virginitatem servare in conjugio, quia difficilius, quam extra. Secundo, ut haberet virginem virginitatis suæ custodem et nutritium; quæ si alioquin sola degere, et sibi met victum quærere deberet, insidias inter homines facile pateretur, quas ut declinaret, sponsum virginem sibi delegit.

Tertio, ex Dei consilio et occulta dispensatione: « Ne (Mater Filii effecta) temerata virginitatis adureretur infamia, cujus gravis alvus corruptelæ videretur insigne præferre. Nec decuit sinistra virginibus opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quod infamata Mater quoque Domini videretur, » inquit idem D. Ambrosius, l. II. in Lucam.

Quarto: *Ne tamquam adultera a Judæis lapidaretur*, inquit S. Hieronymus, in c. I. Matth. « Quis enim et crederet, ait Eusebius Emisenus, hom. in Virg. nativ. Domin. sine viro concepisse? Quis enim ei crederet, de Spiritu s. ejus uterum intumuisse? Erat enim hoc inusitatum et sine exemplo. Melius ergo fuit quod virgo ad tempus non virgo putaretur, quam quod accusata lapidaretur: non enim violatur virginitas falsa opinione, occiditur autem innocens plerumque falsa accusatione. » Quod si forte non ut adultera, saltem velut corrupta in domo paterna poterat lapidari, ex lege Deuter. XXII. sic statuente: *Si non est in puella inventa virginitas, lapidibus obruent eam viri civitatis illius, et morietur; quia fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui*, ut observat D. Thomas, III. p. q. XXIX. art. I. ad IV.

Quinto, ex eodem Dei consilio, ut Joseph ipsi ejusque Filio esset adjumento et custodia, sacraque illius familiæ in temporalibus administrator. Virga florem aut rosam emittens habet sua folia aut spinas, quibus defendatur: atqui Maria virga illa erat, de qua Isaias, cap. XI. prædixit: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*, ut exponit S. Hieronymus. Debit igitur habere sponsum protectorem.



III. Elegit sponsum humilem et fabrum potius quam divitem et nobilem. Primo, quia et ipsa humillima fuit: quæ autem bene nubere vult, nubat pari: sic major inter conjuges erit concordia. Secundo, id actum Dei dispensatione, ut Christus futurus ejus Filius patrem haberet sibi consimilem; siquidem et ipse humiliavit semetipsum, formam servi indutus: *Ego, inquit, Cant. II. flos campi et lilium convallium, hoc est, (ut Rupertus Matthæo I. exponit) decus parentum humillimum.* « Non est flos regii alicujus horti Christus; non enim regem aliquem, hominum existimatione patrem habere voluit, sed Joseph fabrum, etc. » Fabrum vero, primo, ex eodem Dei consilio, quia ad quaerendum victum sibi et uxori in stabulo Bethlehemitico et fuga Ægyptiaca, ars fabrilis dignaria magis erat idonea, et paucioribus instrumentis egebat. Secundo, ut esset analogia quædam inter ipsum, et Deum Patrem, mundi fabricatorem, cujus Filius naturalis erat Christus, Josephi solum matrimonialis, ut observant D. Augustinus, serm. de nativ. et S. Petr. Chrysologus, serm. XLVIII.

Magnum bonum est bonus conjux, uti conjugii suæ Annæ Elcana insinuat, I. Reg. I. *Anna quam ob rem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii?* Quod etiam dicere poterat Josephus conjugii suæ, si afflicta ipsa fuisset. Sed non potuit affligi sub tam sancto conjuge, qualis erat Josephus. Quod si alii quoque desiderant, querant sibi conjuges virtutibus insignes, magis quam apibus, forma, stirpe, et similibus; quæ plus sæpe nocent, quam prosint.

IV. Elegit adesse Filio crucifixo potius quam abesse. Primo, ut materno affectui et amori erga tam dilectum Filium satisfaceret. Agar illa filium moribundum: *Abjecit subter unam arborem, et abiit, seditque e regione procul, quantum potest arcus jacere. Dixit enim: Non videbo morientem puerum, Genesis XXXI. secuta affectum naturalem, et ne ipsa una cum puero nimium affligeretur ac quodammodo moreretur. Non improbo hoc quidem, sed meliorem partem elegisse dico Mariam, quæ naturalem affectum transcendit, vicitque seipsam, volens una cum Filio suo, quando eum servare non poterat, pati, ac si liceret, etiam mori: non timens sese ingerere in furentem turbam, et tam mesto Filii spectaculo in corde lancinari. Laudatur merito ab episcopo Abulensi, II. Regum XXI. quæst. XXX. Respha, quæ duobus filiis suis crucifixis tamdiu assedit, strato subter se cilicio, eosque a ferarum morsibus defendit, donec delapsa e cælo pluvia, de crucibus tollerentur. Quanto asperiori in cilicio stetitse puta-*

mus Mariam ad crucem Filii ut eum, si quo modo posset, defenderet a rabidis illis feris et la-trantibus Judæis? Nec dubium a cruce non fuisse discessuram, donec Filius depositus, sepultura mandaretur, licet multis mensibus et annis ibi penderet. Discant hic parentes adesse filiis suis inter tentamenta et defendere eos a feris, depravatis sociis et magistris.

Secundo, ut etiam præsens Filium suum Deo Patri secundum ejus beneplacitum ad mortem offerret. Quemadmodum enim Filius ejus: *In montem a discipulo suis tradendus æmulis, prius in vitæ ferculo se tradidit discipulis:* ita Mater Filium morti in prædam offerendum prius obtulit Patri cælesti in redemptionem generis humani, longe ardentiore zelo et amore, quam mater Machabæorum, aut Sancta Symphorosa, vel Sancta Felicitas septem filios suos coram torqueri et immolari Deo in holocaustum viderit. Licet enim hæc immolatio cor Matris acerbissime sauciarit ac dilacerarit, prævaluit tamen amor Dei et conformitas Matris cum divina voluntate, quemadmodum et in Abrahamo filium immolaturus. B. Natalia conjugis sui Hadriani pedes et manus supra incudem amputandas ipsamet extendit, ut eum Deo in martyrem et hostiam offerret, in vita S. Hadriani 7. septembr. apud Sur. Maria etiam: « Ita divinæ voluntati conformis erat, (inquit D. Antonius, IV. p. theol. f. XXV. c. XLI. §. 1.) ut si oportuisset, ad implendam voluntatem Dei, ipsa Filium in crucem posuisset: neque enim minoris obedientiæ fuit, quam Abraham. »

V. Elegit denique post Filii in cælum ascensionem remanere adhuc ad tempus in terra; quod sanemirum est. Passa enim jam erat una cum patiente Filio magis spiritu quam carne; resurrexit spiritu cum resurgente; cur ergo non ascendente? Verum et hic quoque meliorem partem elegit, dum in terris aliquantisper remansit. Primo, in solatium apostolorum et Ecclesiæ primitivæ; ut ab ejus præsentia recrearentur, et sapientia plusquam angelica in multis edocerentur. « Quid enim jucundum, (inquit Simon Tileranus episcopus Yprensis, in tract. de assumpt. V.) quid tam decorum, quam Matrem plasmatoris et Redemptoris omnium intueri? Nam si sepulcrum ejusdem nostri Salvatoris ita visu delectabile est; si lapis, in quo stirps sancta Jesse requievit, tanta expetibilis celebritate, ut animos et affectus eunctorum provocet in se, et quadam pietatis arte trahat ad se omnia: quæ vel erat lætitia, Dei Genitricem cernere, quamdiu eam divina pietas communi sorte degentem nobiscum concessit in terris? » Et mox: « Denique Virgo Mater omnium in se charismatum commercia deferebat.

Primo, namque aspectu scintillans sacri amoris ignibus, proximorum pectora suaviter exurebat, animis fidem suggerēbat, suadebat verecundiam, inlectebat ad pietatem, spirabat florem virginittatis, seminabat novale castitatis, depingens oculis habitum humilitatis, præferens judicium veritatis, etc. » Durum certe fuisset apostolis, si utroque parente, Domino suo et Matre ejus, simul orbarentur, quod etiam ne fieret, precavit Rebecca in filiis suis, Jacob et Esau, cum illi ob insidias fratris fugam suasit, dicens: *Cur utroque orbabor filio in uno die?* Gen. XXVII. Durum esset mundo in recessu solis, luna carere, quæ quidam sol nocturnus est. Ergo recedente sole Christo ex hoc mundo, saltem luna, Mater, ei relinquenda erat: donec ipsa Ecclesia, tunc quidem adhuc tenella, sensim adolesceret et fieret pulchra ut luna plena, magistra et illuminatrix suorum filiorum. Cujus rei typum exhibet nobis Elcana, qui, obtento filio Samuele, solus ascendit in Silo cum domo sua, ut immolaret Deo hostiam solemnem: Anna autem conjux ejus non ascendit: dixit enim viro suo: *Non ascendam, donec ablactetur infans et ducam eum,* I. Reg. I. Ascendit in cælum solus Salvator cum familia sua e limbo erepta: Mater adhuc in terra remanere voluit, donec teneram Ecclesiam lacte suo educaret et confortaret: volens ad tempus sua se beatitudine defraudare, ut Ecclesiæ deserviret.

Secundo, in bonum ipsius sanctissimæ Dei Matris; ut merita sua, amplissima alioquin, amplius cumularet, et ita tandem cumlatiore gloria ad Filium ascenderet, itaque ab ipsomet Filio sibi occurrente in cælum induceretur. Debebat ei velut Matri Dei summa in cælo gloria post Filium: ne vero illa dono mere gratuito adscribi posset, voluit eam condigne et cumulate promereri, laborando usque ad senectam. Gotthi reges filios ad mensam suam non adhibebant, sed ad quadram servorum ponebant, donec optima spolia ab hostibus reportarent, et testimonia fortitudinis suæ ab externis regibus acciperent, uti factum cum Alboino, Odwini Gotthorum regis filio, scribit Paulus diaconus, I. I. c. XXIII. Hujusmodi optima spolia ut Deipara sibi pararet, et ab universa Ecclesia testimonium acciperet suæ fortitudinis, diutius ad hoc in terris militare voluit, utpote collocanda ad Filii dexteram in cæ-

lo. Quod si decuit Matrem Dei post tot alioquin tantosque meritorum cumulos, ampliores alios adicere; quis jam dicere poterit, se pro cælo nimium pati, nimis diu laborare? S. Euphrasia virgo sanctimonialis, miraculis corusca, cum responsum mortis haberet ad Christum assumenda, instanter orabat, ut vel uno adhuc anno militare in terris, et quasi parum aut nihil laborasset, cælo se digniorem reddere posset, apud Sur. 13. martii. Ita nos comparati esse debemus, ut semper existimemus nondum satis cælo nos maturos esse, plus ultra adhuc laborandum, ut tanto fruamur bono. Intellexit hoc præclare s. p. n. Ignatius, qui asserere non dubitavit: si optio sibi daretur, hinc jam emigrandi cum certa spe salutis, vel diutius commorandi ad serviendum Deo cum non æque certa spe; se in hanciturum partem, quo et Dei gloriam magis promovere, et sua augere merita posset. Atque hæc est in primis optima illa pars, quam et nos, si sapimus, eligemus in hac vita: non honores, non opes, non delicias, quæ ad modicum durant, et post auferuntur nobis; sed virtutes et honorum operum merita, veræque pietatis officia. Hæc enim nobis invitis auferri nunquam possunt, sed comitantur nos usque ad vitam æternam: illa crepundia sunt et nugæ pueriles. Deciderat aliquando Athenis aurea lamina de corona Dianæ: sustulit eam puer. Quod ubi magistratus intellexit, puero proposuit ex una quidem parte crepundia puerilia, ex altera vero laminam illam auream, ut alterutrum eligeret. Quid ad hæc puer? Ad aurum extendit manum, spreto puerorum nugis; adeoque, velut intelligens, sacrilegii reus judicatus et capite plexus est, Ælian. I. XV. c. XVI. Ecce vobis, puer spernit crepundia, et partem coronæ aureæ, a Dea gestatæ, præripere sibi satagit: et nos tam stulti erimus, ut posthabita divorum in cælo corona aurea et immarcescibili, eligamus infirma hæc et puerilia nugamenta, terræ glebas fulgentes, honorum fumos et inanes hominum opiniones, vacuos emolumento titulos, momentaneas voluptatulas et delectatiunculas, luteas domos et fugaces amicos? Absit, absit: ad coronam vitæ et Virginis Mariæ manum extendamus. Hoc enim qui fecerit, non ut puer ille reus fiet, sed ut prudens negotiator gloriam et vitam æternam sibi comparabit.